

*Manent fides, spes, caritas;  
maior autem est caritas*

Léctio Epístolæ primæ beāti Pauli apóstoli  
ad Corínthios

13, 4-13

**F**ratres:

- <sup>4</sup> **C**áritas pátiens est,  
benígna est cáritas,  
non æmulátur,  
non agit supérbe,  
non inflátur,  
<sup>5</sup> non est ambitiósá,  
non quærit quæ sua sunt,  
non irritátur,  
non cógitat malum,  
<sup>6</sup> non gaudet super iniquitátem,  
congáudet autem veritáti;  
<sup>7</sup> ómnia suffert,  
ómnia credit,  
ómnia sperat,  
ómnia sústinet.
- <sup>8</sup> Cáritas numquam éxcidit.  
Sive prophetiæ, evacuabúntur;  
sive linguæ, cessábunt;  
sive sciéntia, destruétur.
- <sup>9</sup> Ex parte enim cognóscimus  
et ex parte prophetámus;  
<sup>10</sup> cum autem vénerit, quod perféctum est,  
evacuábitur, quod ex parte est.
- <sup>11</sup> Cum essem párvulus,  
loquébar ut párvulus,  
sapiébam ut párvulus,

cogitábam ut párvulus;  
quando factus sum vir,  
evacuávi, quæ erant párvuli.

<sup>12</sup> Vidémus enim nunc per spéculum in ænígmate,  
tunc autem fácie ad fáciem;  
nunc cognósco ex parte,  
tunc autem cognóscam, sicut et cógnitus sum.

<sup>13</sup> Nunc autem manet fides, spes, cáritas, tria hæc;  
maior autem ex his est cáritas.

Verbum Dómini.